

19

I. N. 7. C.  
DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> GRADUALIS  
DE  
**AUCTORIBUS  
PSALMORUM**

QUAM,  
*Consentiente Amplissima Facult. Philosoph. in Regia  
Academia Aboensi,*

PRÆSIDE

*VIRO AMPLISSIMO atq; CELEBERRIMO,*

D<sup>N.</sup> **CAROLO ABRAH.  
CLEWBERG,**

*Græc. & O. O. L. L. PROFESS. Reg. & Ord.*

*Publico examini modeste submittit*

**ANDREAS A. BACKMAN,  
ALANDUS,**

In Auditorio Majori ad Diem IX. Julii  
Anni MDCCCLIV.

Horis ante meridiem solitis.

---

ABOÆ; Impressit Direct. & Typog. Reg. M. Duc. Fin.  
land. JACOB MERCKELL.

VIR O Nobilissimo

# Dn. SAMUEL MANSNERO.

Subcenturioni Tormentorum Strenuissimo.

AVUNCULO OPTIMO.

VIR O Nobilissimo

# Dn. BERNDT JOH. AMINOFF.

Subcenturioni Pedestri strenuissimo  
PATRONO Honoratissimo.

KANTALUS  
KUNIUS

**O**B plurima favoris & amicitiae documenta, quæ mihi  
omni tempore exhibuisti, FAUTORES OPTIMI, pa-  
gellas hasce in signum gratissimi animi vobis offero & con-  
secro. Serena igitur fronte easdem accipiatis, etiam atque  
etiam oro & memet in soliti VESTRI favoris sinu benigne  
foveatis. Supremum Numen pro VESTRA, FAUTORES Æ-  
STUMATISSIMI, longæva incolumitate precibus ardentissimis  
& indefessis defatigabo. Ero dum vixero

NOMINUM VESTRORUM

cultor humillimus  
AND. A. BACKMAN.



§. I.

**U**trum in toto Codice Vet. Testamenti ullus reperiatur liber, qui ob usum insignem & multiplicem cuivis pio lectori se tantopere commendet, ac aurea illa collectio, quæ nomine **תְּהִלָּה** & **סַרְבָּר**, a parte potiori petita denominatione, Hebrais venire solet, jure omnino dubitaveris. Si enim scipsum consideraverimus, quem in concinnandis hisce canticis propositum habuit auctor eorum Spiritus Sanctus: talem esse patebit, ut vel eo nomine ceteris hic liber anteponi mereatur. Certe eum in finem compositos esse constat, ut fi- deles in cognitione veritatum spiritualium instrue- rentur (<sup>a</sup>), ut essent vaticiniorum de Christo inven- tarium: ut haberemus Ethicam sacram perfectissi- mam, librum precum & hymnorum divinorum om- nium præstantissimum, & consolationis thesaurarium: ut sanctorum intimos affectus velut in speculo vide- remus:

A

remus:

---

(<sup>a</sup>) Cf. Tarnovii comment in X. psalmos proores pag. 7. seqq.

\* \* \* \* \*

remus: & tandem, ut nobis suppeteret universæ Scripturæ compendium. Mirum igitur non est, adeo frequentem Psalmorum a Christo & Apostolis in Novo Test. reperiri allegationem, ut interdum idem hymnus vel sexies, psalmi in universum 60 fere vicibus citentur. Hinc etiam vetus Ecclesia Judaica publice in cultu divino Levitico hisusa fuit constanter. Quin & in Ecclesia Christiana semper & ubique in maximo habiti fuere pretio. Athanasius dedecori tribuē si dies nobis prætereat, quo nihil in Psalterio legerimus. Nec defuerunt, qui arbitrarentur, bis vel ter evolvendum esse Psalmorum librum, quo tempore semel universum absolvimus Codicem Sacrum. Hinc innumera eademque eximia Lutheri aliorumque in Psalmos elogia sunt, quæ heic cumulare vetat instituti ratio. Sed vix etiam de ullo alio tantopere in varia discesserunt erudit, ac de hoc eodem Psalmorum libro. Sic de partitione & numero, de titulis, de auctoribus, collectoribus & quæ sunt cetera. Nos, Fav. Deo, in eo potissimum operam collocatam volumus, ut quid de Psalmorum Auctoribus secundariis sit tenendum, exponere conemur.

§. II.

**S**ed obijci fortasse poterit, operæ pretium non videri, sollicite pervestigare, quibus secundariò Sacra illa Cantica sint adscribenda, cum Spiritui Sancto eadem primariò deberi ultro largiantur omnes. Fuere namque, qui hanc quæstionem tanti non esse

judi-

judicarunt, quorsum hæcce quoque Theodoreti tenuerunt verba : ποιας γέ' αὐτὶ πεστίθησαν ὡφέλειας εἴσε λύτρα πάντες, εἴσε εκίνων εἴεν τινες, διὰλε γα ὅστις, τὸς εἰς λῆσ τὸς θεῖς πάντες μαζῷ εὐεργέτιας συνεργάτης φησιν ἀπαύλες (a). Nec abudit Gregorius Magnus, hunc in modum pronuncians : Cum ejus rei Spiritum S. tenemus auctorem, quia Scriptorem querimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas de calamo percontamur ? (b). Verum, magni licet nobis sit patrum illorum auctoritas ; tamen arbitramur non modo non πεπεργίας aut nimiæ curiositatis, notam incurrere; sed potius laudem mereri innocuos conatus indagandi curatius singula, quæ ad sacrorum scriptorum notitiam aliquid conferre videntur. Certè, si illorum vitam, mores & studia probe noveris, qui ὑπὸ λόγου πεπεργίας οὐκτοι Φεργεντοι nobis quid scriptum reliquerunt ; dubium non est, quin inde haurias plurimum emolumenti, sive ædificationem spectes, sive instructionem. Eos enim Deus propheticō munere dignatus est, quos ut vitæ morumque exempla nobis ad imitandum destinaverat. Plurimum igitur refert eos nosse, quibus ut instrumentis uti, & cœlesti luce collustrare dignatus est Deus. Non imus inficias, posse unumquemque pium, sedulum & attentum lectorem, Divino suffultum auxilio, e psalmonum lectione etsi scriptorem ignoret, participem fieri salutarium illorum fructuum, quos ibi gratia divina copiosissime sparsit. Sed simul hoc nobis dari con-

(a) Praefat. in Psalmos. pag. 385. (b) Greg. M. in Job. C. I. n. 2

5.

tendimus; longe facilius & uberior sensum nos affe-  
qui, ut & in affectum auctoris penetrare posse, ubi  
perspectum habuerimus, qua occasione auctor ~~esset~~  
~~πρετερόν~~ quo in statu constitutus, quo fine & scopo  
scriplerit, & quæ sunt reliqua. Quis magnum  
Iliados & Odysseæ parentem, hujus cum admira-  
tione legens opera, cognoscere penitus & quæ ad  
ejus vitam, mores & fata pertineant, habere  
perspecta non desideret? Cui ~~τὰ μεγαλοφωνάς~~ Ly-  
ricorum principis odæ in deliciis sunt, qui Pinda-  
rum nosse non aveat? Tragicorum Homerum Sopho-  
elem qui legerit, eum non pigebit de auctore per-  
contari, quem ob suavitatem ~~μέλιτας ἀτλαντής~~ cogno-  
minatum novimus. Sed in profanis Græcorum scri-  
ptis dum occupamur, quæ cana nobis reliquit anti-  
quitas, si de auctoriis studiose disquirimus, idque  
vitio nobis vertit nemo: Cur non majori jure au-  
tores indagamus, quibus usus est Deus in aureis  
hisce odis concinnandis? Minime proinde superva-  
canea illa cura censi debet, quæ impenditur iisdem  
illustrandis. Harum enim cum tanta sit præstantia,  
quanta §. superiori nos satis evicisse arbitramur, e re  
omnino esse putamus, ut magis magisque illustrentur.

### §. III.

**V**eterum recentiorumque de Psalmorum Auctori-  
bus inter se pugnantes sententiae præcipuae ad  
duas reduci queunt classes. Davidem, afflante Deo,  
omnes concinnasse, adserere multi non dubitant. Con-  
tra

tra negant id alii, & quidem longe plures; rationibus utrinque minime destituti. Illis Chrysostomus, (a) Ambrosius, (b) Augustinus, (c) Theodoreetus (d), Enthymius Zygabenus, (e) aliquique favent (f). Pro his vero militat potior interpretum pars, qnos inter Hilarius, auctor Synopseos, quæ Athanasio adscribitur, (g) Hieronymus, (h) Eusebius, (i) quibus etiam e recentioribus adstipulatur eruditorum non infimi subsellii magna cohors. Qui omnes omnino Psalmos uni Davidi in acceptis referunt his fere nituntur argumentis. Quoties in N. T. citantur Psalmi nonnisi sub nomine Davidis allegari a Salvatore & Apostolo Petro solent (ii). Idem Petrus, quod maxime notandum, psalmum secundum ἀντίγραφον licet, adscribit Davidi; ut adeo veri videatur simile, communem inter Iudeos fuisse hoc tempore sententiam, facros illos omnes hymnos compotuisse Davidem, נְשָׁרָל יִשְׂרָאֵל dulcem illum psaltem Israëlis, qui & de se ipso fatetur: רֹוח יְהוָה וּבָרֶכֶת וּמַלְחָחוּל־לְשׂוֹנִי h. e. Spiritus D. locutus est per me & sermo ejus per linguam meam \*. In consecratione templi Salomo-

A 3

nis,

- 
- (a) Comm. in Ps. L. (b) pref. in Ps. L. (c) L. XVII.  
de civit. D. c. 14. (d) pref. in Psalmos. (e) pref. in  
Ps. apud Steph. le Moine var Saer. T. I. pag. 172. (f)  
Cf. Carpzor. introd. in lib. v. T. p. 91. (g) Tom. II.  
opp. athanas. (h) ep. ad Sophr. & Cypr. (i) pref. in  
Ps. pag. 7, 8 (ii) Matth. XXII: 12. Luc. XX: 41.  
XII: 36. Act. II: 25: 35. IV: 24, 25. \* II. Sam.  
XXIII: 1, 2.

\* \* \* \* \*

nis, (*k*) non alios memorari psalmos legimus, quam quos concinnasset David. Cum cultum Divinum in templo Hierosolymitano restitueret Jechiskija, edixit Levitis, ut laudarent Dominum verbis Davidis & Asaphi videntis (*l*). Siracides diligentiam Davidis collaudat, zelumque cantores ordinandi sanctosque hymnos componendi, ante altare Domini cantandos (*m*). Quin & ad usum veteris ecclesiae provocatur, in qua mos invaluit constanter sacrum huncce librum nomine Psalmorum Davidis designandi. Ratio enim ejus appellationis vix aliunde orta, quam a firma persuasione, quæ omnium eo tempore infederat animis, Davidem Regem totum Psalmorum librum concinnasse. Sed reponitur, allatas rationes rem omnem, de qua queritur, minime probare. Allegationibus enim sub nomine Davidis in N. T. opponi possunt aliae, quæ psalmos, nulla Davidis facta mentione, citant (*n*). Sic usui veteris ecclesiae mos opponitur contrarius, Psalmos vel volumen psalmorum, Davidis omisso nomine, memorandi. Præterea, cum Davidi Psalmorum tribuitur liber, fit hoc, non quidem propterea, quod ille primus Spiritum psallendi a Deo acceperit, primusque & solus psalmos scriperit: Sed cum a parte potiori, Davidi sine dubio adscribenda, tum quod τοις λοιποῖς Φαλμωδοῖς αὐτὸς ὑπὲ τὸν ιερόν εὐλεξάμε. Οὐ διετύπωσε, καὶ τὴν τε σάτιν αὐτοῖς τὸν πόταν καὶ τὴν τάξιν τῆς μελω-

---

(*k*) 1. Chron. VII: 6. (*l*) II. Chron. XXIX: 30. (*m*) Sir. XLVII: 9. (*n*) Act. I: 2. Luc. XXIV: 44. Ephes. III: 19. Col. III: 16.

μελωδίας; καὶ τὸν κατέργον πεωνὸν καὶ τὸν ἑσπερικὸν ὄχημα καὶ  
διέταξε (ο). Quia nimis primum psalmodiam divinam pri-  
mus cultui publico aptavit & ordinarie obeundam in-  
troducedit. Tandem huic sententiæ tituli in Cod. He-  
bræo psalmis præfixi, repugnant. Sunt enim eorum  
non pauci, qui aliorum auctorum nomina expresse in  
fronte gerunt. Neque obijicias particulam  $\heartsuit$  notam  
dativi hoc loco habendam esse. Sic enim idem, Psal-  
mo XC, ejus erit valor. Sic David illum aut Mosis de-  
dicasse, aut ad præcinctum tradidisse dicendus erit.  
ut cuncte absurdum esse, probatione non eget. Sic  
& eadem ratione omnes hymni, Davidis nomine or-  
nati eidem adimi possent. Quod si  $\heartsuit$  per propter,  
reddas, similia te manebunt absurdâ.

#### §. IV.

Contra sentientium alii Davidi Psalmos omnes dene-  
gare non dubitant (α), simulque contendunt,  
Adami, Abrahami, Mosis aliorumque nomina, qui in  
fronte gerunt, Psalmos non concinnasse, sed solum  
modo concessisse Davidem. His sequentia Talmu-  
distarum verba patrocinari videntur:  
רוֹר כְתֵב סִפְר תְּהִלָּם עַל יְהִי עֲשֵׂרָה זָקְנִים עַל יְהִי אֶרְם הָרָאשָׁן  
עַל יְהִי פָלְכִיאָךְ וְעַל יְהִי אֶבְוָהָם וְעַל יְהִי מְשֻׁחָרָעָל  
יְהִי הַיְטָן וְעַל יְהִי יְרוֹתָן וְעַל יְהִי אַסְף וְעַל יְהִי  
שְׁלָשָׁה בְּנֵי קְרָה  
David scripsit librum Psalmorū

---

(ο) Cf. auctorem Synopseos in opp. atban. T. II. L. 13.  
p. 34. (α) Cf. R. Dav. Kimchium pref. in Psalmos.

rum per manus decem seniorum : per manus primi hominis ; per manus melchizedek : per manus Abraham : per manus Mosis : per manus Heman : per manus Jeduthun : per manus Assaph : & per manus trium filiorum Korah. Hujus loci sensum incertum reddit particula עלי וריה, quam per ministerium, propter, causa, notare contendit Bartoloccius (b) : alia contra ratione eandem exponunt alii. Nos vero his verbis minime Davidem e numero ~~יערומיאו~~ excludi putamus, illud enim ליעו Hebrais interdum idem valet, ac pro more solito, ad institutum. cf. Job. I: v. 14. ubi ~~יריה~~ ליע more solito reddendum censet Alb. Schultensius, coll. Efr. III: v. 10. Il. Chron. XXIX, v. 27. Jer. V: v. 30. Sententia proinde Talmudistarum eore redire videtur, Davidem psalmos concinnasse promovere decem senioribus consveto : adeoque Davidem cum ceteris hymnorum auctoribus hoc loco conjungi. De cetero, Davidi magnam Psalmorum partem abunde vindicant tituli, qui expresse ejus injiciunt mentionem. Nec est, quod qui dam regerant עלי וריה propter notare; cum hanc objectionem refellat addita non raro psalmi occasio, titulo & argumento exacte respondens.

### §. V.

**M**edia inter utrosque alii incedunt via & Davidi magnam psalmorum partem deberi contendunt; reliquos diversis adscribunt auctoribus. In singulis vero

---

(b) Bibl. Rabb. Tom. II. p. 221,

vero canticorum auctori bus suis assignandis iidem admodum a temet invicem abeunt. Sunt, qui Psalmorum inscriptiones, prout illas exhibent fontes Hebraei, secuti, eorum sacras hæc odas esse volunt auctorum, qui ponuntur in titulis, quorum & Hieronymi calculum tulit sententia (a). Sunt, quibus tituli interdum, sed non semper in censum veniunt. His aliud est **לְוֹרָה תְּזִבְּחַת** & **לְרוֹר תְּזִבְּחַת**, prius innuit psalmi auctorem esse Davidem; posterius Davidi inscriptum vel traditum, dedicatum esse cantum indigitat. Quæ distinctio quam infirmo nitatur talo, vel sola collatione Psalmi CX, cum Matth. XXII: v. 43, 44. Marc. XII: 36. Luc. XX. v. 42. Act. II v. 34. ut alia taceamus, abunde patet. Quod si differre phrasin utramque aliqua ratione largiendam sit, prior titulus scriptorem proxime insinuabit, posterior ad auctorem principalem, nimirum spiritum S. digitum intendet. (b) Quocunque proinde modo illam interpreteris, psalmorum ejus nomine qui signantur, auctor manebit Davides. Cum vero præter Davidem plures memorentur psalmorum auctores, Moses, Asaph, Heman, Ethan, Salomo & Filii Corah; horum tamen quemlibet volunt nonnulli non ea struxisse cantica, quæ nomine quisque suo signat. Sed quia psalmi, qui inscripti sunt **לְלוֹל**, Davidem auctorem agnoscunt, nulla adest ratio, cur **מִנְסָחָה** aliter quam de auctore capere debeamus; præsertim cum & Asaphum

B

saphum

(a) In Ep. ad Sopbron. (b) Cf. II. Sam. XXIII. v. 2.  
 Et Psalm. XLIV. v. 2.

saphum prophetam fuisse constet, & uterque ut psal-  
morum auctor, citra ullam differentiaē notam, conjun-  
gatur II. Chron. XXIX. v. 30. Hinc & ipsi Psalmos L.  
& LXXIII ad LXXXIV concedendos censemus. I-  
dem de filiis Corah esto judicium. Quicquid enim  
in contrarium urseris, pari certe jure in Davidem i-  
p̄um & Assaphum retorqueri poterit, quos tamen non  
temere in controversiam vocari, ex modo allatis appa-  
ret (c). Coræ proinde posteris psalmi sequentes XLII,  
XLIV - - XLIX. LXXXIV, LXXXV, LXXXVII.  
quo minus attribui queant non est, quod impedit:  
nisi pluribus unum inspiratum fuisse psalmum ab-  
furdum cuiquam videatur. Hæc vero objectio soluta  
facilis, si supponamus, unum psalmi fuisse auctorem,  
qui tamen omnibus filiis Coræ assignatur ea propter,  
quod hi communi nomine psalmos suos in sanctuarium  
intulerint, junctisque vocibus eos fuerint modulati.  
Neque enim Salomoni, cui recte psalmus adscribitur  
CXXVII, abjudicandus esset LXXII, nisi aliud sub-  
juncta clausula doceret. Hemani igitur & Ethani E-  
zrachitis tribuere Psalm. LXXXVIII. & LXXXIX. ex  
eodem fundamento non est, quod dubitemus. Hos  
enim ex archimusicis fuisse Davidis & proceribus sui  
ævi sapientissimis, cum aliunde, tum e I. Reg. IV v. 31.  
probatur. Mosi inscriptus psalmus XC, nihil conti-  
net, quod in eum non optime quadret, adeoque eum  
agnoscere auctorem, tuto afferitur, quem & olim  
hymnos composuisse scripturæ testimonio novimus. Cf.

Exodi

---

(c) Cf. Carpz. Introd. Libb. II. p. 97.

Exodi XV. v. 1 seqq. Maneant igitur iis auctoribus  
sacra hæcce cantica, quorum gerunt nomina: adeo-  
que Davidi psalmus III., cum seqq. usque ad XLII.  
exclusive, decimo & tricesimo tertio exceptis. Ma-  
neant eidem ceteri ipsius nomine insigniti, ut & reliqui  
suis signati psalmographis, quamdui nihil iis contineri  
ostendi queat, quod alios arguat auctores. Quo vero  
jure Calmetus Davidi psalmos quosdam ipsi inscriptos  
adimat, equidem non video. (d). Nec tamen eos  
audiendos esse putamus, qui LXX interpretes secuti  
vel Vulgatum, plures scriptores nominant, Jeremiam  
puta, Haggæum & Zachariam aliasque. Eas enim  
psalmorum inscriptiones quas fons ignorat Hebræus pro  
authenticis venditare non audemus.

### §. VI.

**S**upereft, ut de iis psalmis paucis etiam agamus, qui  
*αιντίγραφοι* græcis, orphani Talmudicis audiunt.  
Horum non pauci, ut novimus, numerari solent,  
& de iis gemina moveri potest quæſtio. Quibus ni-  
mirum sint assignandi auctoribus, primo quæri solet:  
deinde, cur *ακέφαλοι* fint relieti, disquiritur. Judæo-  
rum malitia, incuria librariorum aliisque casibus, pe-  
riſſe nomina auctorum, olim suis præfixa Psalmis, cum  
Huetio aliisqne statuere, nos quidem in Sacræ Scrip-  
turæ integritatem & *ανοικησιν θεών οφθαλμών* injurium  
esse putamus. Eos autem a suis auctoribus tales re-  
licitos esse, quales jam habentur, verisimile videtur:

(d) Cf. Bibl. untersuch. I, VI, p. m.

qua vero de causa id factum sit, dicere nosmet non posse, fatemur libenter. Quam ad priorem quæstionem solvendam adfert regulam Hieronymus, (e) nos quidem admittere non possumus. Hanc, ait, esse Scripturæ contuetudinem, ut psalmi, qui cujus sint, titulum non habent, iis deputentur, quorum in prioribus nomina habentur. Hoc posito, psalmi a XC ad **C** Mosis essent adscribendi. Id vero, quo minus fieri queat, obest Samuelis, psalmo XCIX: 6, injecta mentione. Bambamii vero non plane displicet regula: qui cunque psalmus auctoris sui secundarii nomen in fronte non gerit, Davidi κατεξόνη adscribendus est (f). Ei namque in utroque Testamento adscribuntur expresse ἀπόλοι, e. g. ps. CV, coll. I. Chr. XVI. 8. seqv., quod & dudum observavit a Ben Ezra (g), nec fine ratione idem dixeris de ps. **CVI.** & **CXXXVI.** coll. I. Par XVI: 34. Similiter secundum & nonagesimum quintum Davidi vindicat Christi & Spiritus Sancti testimonium, cf. Act. IV: 25. Hebr. IV: 7. Huc quoque referas Ps. CXXXII: 11, 12. coll. LXXXIX: 4, 5. & Act II: 30. Quapropter inde ad reliquos argumentamur, eosque asserimus, paucis exceptis, esse Davidis. Eorum, quos excipiendos subinnuimus, e numero sit saltem psalmus **CXXXVII.** Hunc si in captivitate Babylonica compositum contendas, non multum refragabimur. Nimis enim luculenta ærum-

---

(e) In Ep. ad Cyprianum. (f) In apparat. enthym. exeg. part. I, p. 427. (g) In Pref.

\*\*\*    \*\*\*    \*\*\*

ærumnarum istarum descriptio , tristesque adeo , quas fundunt , querimoniæ , præsentem jam gravissimeque populo incumbentem , non a longe demum imminente & prophetice prædictam captivitatem , ut ex *av.ψια* clarius apparet , ob oculos ponit (*b*). Id tamen non eo extendendum censemus , ac si liceret ex quavis apparentia recentiores psalmis affingere auctores . Hac in re peccasse constat Hermannum von der Hardt , qui ut de cetero paradoxarum opinionum fecundus inventor & defensor fuit , ita & de psalmographis singulares fovit opiniones . Sic psalmum **CXIX** Pontifici Jaddo , qui tertio ante Christum seculo floruit , assignat . Psalmum **CXII** ab Esdra in laudem Nehemiæ concinnatum , nescio , qua revelatione ipse edocetus , alias docere nititur . Idem de aliis ejusdem circa præfens argumentum commentis esto judicium . Sic nec Huetio , Grotio , Calmeto aliisque concedimus , eos statim Davidi adimendos esse psalmos , quorum argumentum ad recentiora tempora spectare videtur . Cur enim propheticas vaticinationes in toto psalmorum libro frequentissimas deferrimus ? Num Jefajæ , Jeremiæ , Danielis aliorumque vaticinia post suum demum complementum scripta ideo putabimus , quod illud secundum omnes quasi circumstantias sæpe prænunciatum videmus ? Quod olim de Danielis vaticiniis impudenter & virulenter censebat Porphyrius , a Methodio , Eusebio aliisque ca-

---

(*b*) *Carpt.* I. c. p. 98.



stigatus (i). Sed hoc argumentum diutius excutere  
jucundum quidem esset; nos vero temporis .ratio-  
nem habituri, reliqua hue spectantia missa facere, alio-  
rumque uberiori dilucidationi relinquere cogimur, Te-  
que candide Lector, qua decet, reverentia ro-  
gatum volumus, immaturæ huic com-  
mentatiunculæ facilis & benignus  
faveas interpres.

### T A N T U M.

(i) Cf. Jo. Henr. Michaëlis pref. ad annat. in Psal-  
mos. pag. 6.

